

mater est, caput, & princeps. Nil namque officere Apostolicis canonibus tam nupera receptio poterit, nisi & alia canonica opera, etiam sero recepta inficiantur; nam plurimi, tum ex veteri, tum ex novo testamento, libri, non statim ab Ecclesia universali recepti sunt, sed postquam per sæcula dubitatum est de eis, canonicam obtinuerunt auctoritatem; nec inde, quia serò in canonem redacti, sequi debet, eos aliquid amisisse auctoritatis, ac non esse tantæ, nunc, fidei, quia inter dubia habiti sunt, quantæ sunt illi, qui semper inter opera canonica sibi locum vindicarunt.

Ester liber, quem apud Hebræos inter sacra semper habitum fuisse volumina, ipsa hebraica supputatio testatur, licet aliquandò de ejus disceptatum sit Auctore, serò canonicam apud Christianos auctoritatem recepit; nam antè Concilium Laodicenum (imò & post Nicænum, ut mox ostendam ex Athanasii testimonio) nullius Sacræ auctoritatis habitus est, quod decernens quænam essent veteris testamenti sacra volumina, inter ea illum computavit. "Hæc sunt," inquit Patres canone sexagesimo, "quæ legi oportet ex veteri testamento:

- » 1. Genesis. 2. Exodus, idest Exitus ex Ægypto.
- » 3. Leviticum. 4. Numeri. 5. Deuteronomium.
- » 6. Jesus Nave. 7. Judices, Ruth. 8. Ester. 9. Regnorum, primus, & secundus. 10. Regnorum tertius, & quartus. 11. Paralipomenon primus, &

se-